MERCURII EUROPÆI

DE PACE SEPTEMTRIONALI

D I V I N A T I O

S I V E

De instantibus, Polonos inter ac Suecos, & partes utrinque adhærentes, Tractatibus Pacis,

D I A L O G U S.



Anno à reparata per CHRISTUM salute

CIϽ IϽC LVIII.

MERCURII EUROPÆI
DE PACE SEPTEMTRIONALI
DIVINATIO
SIVE
De instantibus, Polonos inter ac Suecos, & partes utrinque adhærentes, Tractatibus Pacis,
DIALOGUS.

LECTORI.

Postquam multis abhinc annis Mercurius, Divûm hominumque interpres ac nuntius, GALLOBELGICI *potissimùm assumpto nomine, multa orbi nuntiavit;* EUROPÆI *nomenclaturâ nuperrimè assumptâ, quæ* POLONUM, SUECUM, *&* LIVONEM, *inter se alicubi differentes auscultando, observarit, & memoriâ exceperit, eadem qua solet fide, hunc in modum enarrat.*

SUECUS.

ITanè verò, ô boni vos? Pacem, Polonum inter, atque Exercitum Zaporouiensem, qui Cosaccorum jam obtinuit nomen, constitisse fama est! Polonus. Fama est, & quidem certa: quippe eam Triumphus in castris sub Torunio actus, excepit atque comprobavit. Faxint Superi; ut futuri mox Vobiscum de Pace Tractatus, & Famam & Triumphum nobis similem pariant! Livo. O, utinam faxint! At enim. Suecus. Quid verò istud, *At enim?* Proloquere, atque ede fœtum, quem parturis. Polonus. Videris mihi de futurâ, quam speramus & desideramus, Pace, nonnihil subvereri, aut potius ambigere. Livo. Quidni ambigam? Quoties enim Vos Poloni cum Sueco Pacem sanxistis? at, quando, & quam tandem certam ac firmam Pacem consecuti unquam estis? Mittamus fœdera, cum Carolo Sudermanno, toties in Sueciâ ac Livoniâ nostrâ icta, ac toties itidem, tametsi nusquam à Polono, rupta; præsertim verò Anno MDCXXI, cum Polonum, adversus Osmanem Turcarum Imperatorem, sub Chocimo dimicantem, & prorsus Murum Christiano orbi, (cui tum ille barbarus inhiabat) sese opponentem, Gustavus Adolphus, quasi à tergo adorsus, Rigam & magnam Livoniæ partem eripuit: mittamus, inquam, ista; quæ vis ac robur fuit nuperis in Prussiâ fœderibus, quæ Stumdorffensia vulgò audiunt, cum eodem Gustopho Adolpho pactis? sexennium propè ad eorundem pactorum decursum aberat, cum Polonis, civili Cosaccorum, & vicino Moschorum, Tartarorumque bello implicatis, Carolus Gustavus nihil minus expectantes invasit; & ea Pacis fœderumque, ubique impressit vestigia, quæ sine lacrymis, vel ipsi hostes, vix queant intueri. Suecus. Aut rudis admodum es, aut etiam malignus, qui ista recoquis. Non legisti Causas in lucem nuper datas, ob quas Rex meus Carolus Gustavus Polonum adoriri bello coäctus est? Livo. Rudis audire haud gravatè possum, nequaquam tamen malignus; etiam dum causas illas tu, tanto jactas opere. Quod dum facis, nunquam

quam aliàs te magis rudem, atq; rerum inanem exhibere orbi potuisti. Quæ enim & quales CAUSÆ illæ fuerint qui eas *Limavit ac Eliminavit*, patriâ utique Suecus, cum ceteris omnibus, tum ipsi quoque Regi Tuo satis ostendit. Certè ipse Carolus Gustavus, ubi præclaras scilicet, illas Causas, ab Oxenstirnio Cancellario suo editas, & à Gregorio Borasto ita Limatas atque Eliminatas in Prussia accepit & expendit, ad Oxenstirnium conversus, Tu verò, inquit, Cancellarium hac in re egisti, ut parenti tuo, Regni itidem Cancellario, ne quidem tantillum responderis. POLONUS. Quidquid sit de fœderibus hactenus ictis, quæ jam scribentur, adamante notabuntur. LIVO. Dudum novi tuum, & quorundam Polonorum tuorum genium: nihil magis, quàm Pacem vel iniquis conditionibus, & maximo adjunctarum Reip. Provinciarum, maximè verò Livoniæ nostræ incommodo, ne dicam exitio, factam anhelatis. Ita vobis, de alieno, ut ajunt, corio ludere, volupe est. Ita quondam, cum à Tartaris Podoliæ, & universæ Vkrainæ partes fœdè lacerarentur, quibusdam vestrûm indulgere genio maxime allubitum fuit; ne etiam Kochanovio, & Kochanovii Parodo, summis utique Poëtis vestris, necesse fuerit ad lyram ingemiscere, & canere. Sarbieu. lib. 4. ode 5.

Æterna labes, nec reparabile
Polone damnum! Podoliam Getas
Impunè vastare, & dolendas
Ponè Lyram numerare prædas!
Eheu pudendum! &c.
Heu rumpe somnos, & vigiles age
Polone curas. &c.
Surgemus? an nos distinet aurea
Mensæ suppellex? Quos manet (heu dolor!)
Hæc mensa convivas? Is auro
Nempe bibat, cui dulce ferrum est.

Ita nuper, cum Lituaniæ Livoniæq; nostræ urbes ac Provinciæ, obvio cuique hosti in prædam cederent, plerisque vestrûm, in

 Majore

Majore præsertim ac Minore Polonia, hoc est intra intima Reip. ipsius viscera degentibus, & *procul*, ut ajunt, *à Iove, procul à fulmine positis* (quotus enim quisque istorum, aut in hostes fulmen manu arripuit? aut dignas Jove concepit iras?) aliarum Provinciarum spectare ruinas, propemodum ludus erat. Nunquid hac etiam de causa, divina evigilavit Nemesis, & nuperrimè hostem in hæc ipsa intima Reip. viscera grassari tandem permisit? ut nimirum discerent, quàm sit dulce bellum inexpertis; aut potius, ut scirent, quo loco esse debeat, in civili quoque re, illud Gentium Doctoris, 1 Cor. 12. 25. *Idipsum pro invicem solicita sunt membra; &, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, & illud paullò ante v. 21. *non potest Oculus dicere manui; Operâ tuâ non indigeo; aut iterum Caput pedibus, non estis mihi necessarii.* Equidem sunt Podolia, Moldavia, Valachia (uti in Aquilæ Polonæ Chorographia nuperrimè ostensum) aut pedes, aut pedum digiti; aut denique etiam ungues; sit Livonia cum suis Provinciis, non tam caput, quam aut capitis vertex, aut rostrum, aut saltem plumæ ejusdem Aquilæ; partes nihilominus sunt ejusdem Reip. membra ejusdem sunt corporis; ut indignissimum sit quando nonnullis illæ voces, ad quasdam partes & membra excidunt; *Operâ vestrâ non indigemus: Non estis nobis necessarii.* POLONUS. Et quis unquam inter Polonos, tam væcors fuit; qui hæc aliquando usurparit? quis, inquam, aut Vkrainam, aut alias Reip. provincias, minus existimavit necessarias? Et ut fortasse aliquæ, etiam minus alicui viderentur necessariæ, quis non fortissimè defendendas, & ad extremum, ut sic dicam, unguem conservandas censuerit, quæ tanto vel majorum sociorumvè partæ sunt sanguine, vel tanta, & tam firma ad societatem Reip. accedentium populorum voluntate acquisitæ? LIVO. Quæris, qui istusmodi fuerint, aut etiamnum fortasse sint? Quasi tibi exciderit, quæ nuper ille, qui Stumdorffensium pactorum videbatur Alpha, despuerit oracula. Cum enim fortissimus Regum, &, à Moschis juxta ac Turcis, eodem illo tempore perdomitis, gloriosissimus Vladislaus, quique tum aderat, propè ad

mira-

miraculum florentissimus Polonorum exercitus, illud altissimè impressum cordi haberent, *Arma ferent pacem*; adeóque hostem extra Reip. viscera armis exterminandum putarent; ille (cui non tam gladii, quàm calami usus erat) ut pacem, quam accepta cum nonnullis pecunia jam vendiderat, non pugnando, sed paciscendo quærendam necessariò ostenderet, illud disertè proloqui non est veritus; ut in naufragio merces, etiam carissimæ, quò navis allevetur & servetur, in mare jactandæ sunt; ita, ut Regni Reiquepub. istius navis servaretur, inter alias merces, Livoniam, (heu qualem, quantamque Provinciam! patriam meam carissimam!) intra hiantes inimici fauces projecit. POLON. Reminisci utcunque possum, qui vir ille fuerit; cui tamen, uti & aliis quibusdam, aut venditam pecunia pacem, aut jactatas citra tantam necessitatem merces, objectari abs te nollem. SUECUS. Nollem & ego; veritate nihilominus adactus turpissimum existimo, ingenuum in re justa, non agere testem. POLON. Et quale tu perhibebis testimonium? SUECUS. Quale multarum in Prussia civitatum, publica Acta & Tabularia perhibent. Cùm enim illa tempestate, Duci & universo Prussiæ Ducatui, nihil magis esset in votis, quàm ut Pax, non gladio, sed stylo, & quidem quàm citissimè sanciretur; quæ non pecuniæ illinc profusæ sunt, ut quorundam Procerum, & illius ipsius præ ceteris, emerentur suffragia? Adi, si lubet, quarundam in Prussiæ Ducatu civitatum publicas tabulas; invenies hodieque non paucorum nomina libris inscripta; invenies etiam, quid, & quantum quisque eorum æris, ut pacem venderet, acceperit: vt vix sine lacrymis referri queat, quod ii ipsi, qui eas tum pecunias numerarant, vulgò jactarent, Omnia apud Polonos esse venalia; Christum ipsum, si quis præsentem numeret pecuniam, vendituros. Quæ ego referre non ausim, nisi his ipsis auribus, coram accepissem. POLON. O probrum gentis universæ! Quàm vellem tabulas illas, & tabularia, quorum meministi, adire? LIVO. Et quid tabulæ, aut libri civitatum adeundi? Nonne satis tum patuit in uno Vladislai Regis vultu, quàm iniquè Procerum

rum nonnulli, & secum, & cum Repub. egissent! POLON. Siquidem tales aliqui fuerint, sentiunt utique id eorundem Manes: at non tales, ut spero, erunt, qui paciscendis jam fœderibus destinati sunt. LIVO. Spero & ego tales non futuros; vereor tamen, ne, aut nimio pacis desiderio, aut belli intra viscera Reip. hactenus sævientis fastidio, ad eas præcipitent conditiones, quæ non minus ut priores deplorandæ, & posteris æternùm sint detestandæ; non sine adjecto paciscentium Manibus æternum duraturo maledicto: ut nihil de Justitiæ divinæ in eosdem severitate dicam: nisi fortè & hic locum putent esse illi, quod in Pandectis suis, nescio quo gustu, etiamnum servarit: *Nos tamen sanctiones, & rigorem justitiæ divinæ mitigantes, statuimus*. SUECUS. Nimium urges, & plus quàm Rhadamantum videris agere; præsertim, cùm in futura Pacis tractatione, omnia sint & æquiora speranda, & faciliora. LIVO. Etiamnè cum vestris hominibus, & faciliora, & æquiora omnia fore, tu possis adpromittere? SUECUS. Quidni possim? LIVO. Quoties Lubecæ, quoties alibi, cum Vestris agi cœptum? Et quam æqua atque expedita erant omnia? POLON. Benè equidem mones: sicubi enim, hic certè verum erat, *Nodum ubique à Vestris in scirpo quæri*; & omnia agendo, illud ad extremum agi, ne *nihil omnino agatur*. Suecus. Enimverò agetur tandem, pro voto etiam vestro. Quod quidem, vel ex amplissimi Regis Galliarum Legati, nuper à Rege meo è Dania reducis, testificatione, audire in Comitiis Varsaviæ potuisti. POLON. Potui audire, & audivi, sed iste galli vestri cantus, triennium toto hoc Regno jam personat; cum interim nihil aliud sequatur, quàm juxta divina oracula; *Dicunt, Pax; & non est Pax*. LIVO. Miror homines nostros, ad tam diuturnum & tam sonorum cantum, necdum excitos satis vigilare; aut si vigilant, veternum ab oculis necdum planè excutere. SUECUS. An tu necdum satis vigilare eos putas, qui, cum sub ipsum quoque Comitiorum tempus, nonnisi armis quærendam vobiscum pacem censuerunt, simul atque Galliæ Regis Legatus advenit, & novas à Nostris conditiones attulit, ita evigilarunt, ut nonnisi

futuris

futuris de Pace tractatibus invigilent? Quo enim aliò magis ſunt intenti? Livo. Non neſcio, vel ipsâ belli nauſeâ, eò intentos eſſe: veruntamen, ſi iſtarum conditionum ſive æquitatem, ſive facilitatem, ad æquam rationis trutinam expenderint, millies utique magis ad bellum, quàm ad pacem, perinde indecoram ac noxiam, inclinabunt. Polon. Quantum publica fama didici, Conditiones pacis, à Sueco, iſtæ per Gallum proponuntur: ut Regio Sueciæ titulo æternùm vale fiat: ut Livonia, quanta quanta eſt, à Polono avulſa, tota Sueco cedat: ut etiam Curlandia ac Semigallia, idem cum reliqua Livonia jugum ſubeant: ut Pruſſiæ loco, quinque Imperialinm milliones Sueco perſolvantur: ut Suecus, quoad dicta æris ſumma ex aſſe fuerit numerata, Elbingam, Mariæburgam, & quod vocant, Caput Viſtulæ, quaſi hypothecæ loco, poſſideat. Livo. O præclaras! ô æquiſſimas! & ô facillimas pacis conditiones! Suecus. Quid ni vero? Livo. Mirum, ni ad majorem iſtarum conditionum facilitatem & æquitatem, etiam adiicitis; ut & Pruſſia Regia, & Samogitia, & aliæ Regni Provinciæ vobis accedant. Suecus. Quid Pruſſiam curemus, quam capite adhuc prehenſam tenemus? Samogitia, ut noſtra fortaſſe non ſit, erit tamen Ducis Curlandiæ, ubi ejuſdem Ducis Provinciæ cum reliqua nobis Livonia acceſſerint. Livo. Itanè vero, Curlandiam ſpe jam devoraſtis? Suecus. Noſtra illa eſt, ſive Dux Curlandiæ vetus illud audiat, *Veteres migrate coloni*, & Samogitiam obtineat; ſive intra ſuos etiam relinquatur lares, dummodò Sueco deinceps, & non Polono Vaſallus ſit; atque ita ſupremum, ſive baſſum, uti vocant, etiam Curlandiæ, uti & totius Livoniæ, jus non aliò, quàm ad nos pertineat. Polon. De Livonia ſua, nunc, ut ſpero, audies: de Samogitis, auſim ego tibi ſpondere, ante perituros ultrò univerſos, quam ut jugum iſtud ſubeant. Si enim & olim, plura ante ſecula, à Theutonicis in Pruſſia regnantibus ſubacti, & impotentius habiti jugum ita excuſſerunt; ut conſpiratione facta, intra diem unam (cujus etiamnum, ſub ipſas Divi Martini ferias, memoriam quotannis non ſine lautitiis & ſolen-

 nibus

nibus epulis obeunt) ad unum omnes contrucidarint; si iidem, hoc ipso bello, præ omnibus ferè Lituaniæ Poloniæque populis, non unum hostem sæpius nacti, in tantis finium suorum angustiis, & tam exiguo suorum numero, semper adverso pectore omnibus obviam iverint nec rarò victores redierint; si denique iidem, ad veterem suum morem aliquot vestras legiones, intra unam quoque diem sustulerint: tu tibi de iis persuadeas, ultro nunc, quasi Caudinas quasdam furcas subituros? SUECUS. Si Samogitiam negas, quid igitur aliud nobis obveniat, quo restituendæ Vobis Prussiæ damnum, & impensæ hujus belli sarciantur? POLON. Quin imò; quid vos nobis rependitis, quo tot & tanta, per universas Provincias illata Reip. damna sarciantur? Si priores bellum movissemus, si fœdera pacis rupissemus primi; si in Sueciam ita, uti Poloniæ à Vobis factum, igni & ferro grassati fuissemus; tum enimverò repetundarum nos postulare fas utrumque vobis fuisset: nunc, cùm & fœdera pacis à vobis rupta sint, & primi nobis, nobis, inquam, tot bellorum aliorum procellis, domi forisque implicatis, bellum iniquissimum feceritis; cùm tantam insuper provinciarum omnium vastitatem ubique post vos reliqueritis, pretium adhuc operæ & minerval reposcitis? Satin' sani estis? SUECUS. Satis profectò sani fuimus, cùm pacta nuper in Imperio Rom. fœdera, Monasterii Vestphalorum, non ante, quàm persoluto nobis, haud sanè levi ære, absolvi & firmam passi sumus: neque nos isthæc pacis firmamenta aut cæmento aut calce aliâ, quàm è puro auro argentovè decocta linire & ferruminare præteritis: præsertim, cum Livoniæ pars alia, cujus Revalia caput est, nusquam in Poloni fuerit potestate; alia pactis Stumdorffensibus jam ante nobis accesserit. LIVO. Quæ de Imperio Rom. affers, viderint alii; quæ de Livonia nostra promis, oracula quidem sunt, sed è nullo Apollinis tripode. Quid enim? Livoniæ pars Stumdorffensibus pactis, ad præfixum usque induciarum tempus concessa vobis est, vos perpetuum inde jus in eandem vobis asseretis? Revaliam, & adjunctas illi partes negas in Poloni unquam fuisse potestate? aliud profectò asseres,

reres, si veritatis testem Historiam consuluisses. Balthasaris Russovii historiam nosti? fidem homini abrogare de sua patria haud poteris. Revaliensis patria est, & Verbi, quod apud vos eximiæ scilicet dignitatis est, Minister. Sub finem secundæ partis Chronici Livonici, cum de Moschi victoriarum cursu, & occupatis ab eo in Livonia urbibus ageret, *Ad postulationem*, inquit, *Magistri Ordinis Gothardi Kettleri, Rex Poloniæ Sigismundus Augustus, residuas in eâ regione provincias & urbes possedit.* Inter residuas porrò urbes, & à Moscho necdum occupatas, Revalia erat. Sicut ergo in alias, ita & in Revaliam, jus omne, quod habuit Magister Ordinis, in Poloniæ Regem transfudit. SUECUS. Atqui, illo eodem tempore, ipsa ultrò Revalia, in Erici Regis Sueciæ potestatem concessit, ut Russovius idem testis est. LIVO. Concessit, sed nonnisi postquam in Regis Poloni jus & potestatem, per præviam Magistri Ordinis traditionem, transierat; proinde, nonnisi per meram à novo suo Rege defectionem, ideoque nullâ, hoc est, à nullo sibi concessâ potestate. Hinc Magister Ordinis, aut potius novus jam Dux Curlandiæ Kettlerus, postquam Regi Poloniæ Livoniam, quæ sub ipsius habenis residua hactenus, & à Moschi unguibus eximia superfuerat, omnem tradidit; postquam ipse quoque, ex pactis cum Rege fœderibus, Curlandiam & Semigalliam, tanquam Dux novus ab eodem Rege creatus, possedit; ubi de istis Revaliensium molitionibus, & tentata ad Suecum defectione intellexit, *Legatos suos* (sic enim initio partis tertiæ in eodem Chronico memoratur) *Dominum à Dohna, Joannem Fischer Cancellarium, & Iudocum Cloed Consiliarium, ad Revalienses misit; qui eos à proposito dehortarentur; nevè se Regi Sueciæ juramento obstringerent, omnino intercederent; eò quod Revaliam, unà secum, ad Regem Poloniæ vellet traducere.* POLON. Utinam non modò Livoniam & Curlandiam, verum & ipsam quoque Revaliam, huic Reip. asserendi tempus esset! Verumenimverò, si illo ante Stumdorffensia pacta jam tempore, etiam cum Livoniæ detrimento, magnus ille in Rep. senator, uti tute testis es, allevandam navem censuit, quid nunc faciendum? LIVO. Quid facien-

faciendum? & quidem nunc! Nunc equidem, fine immani facrilegio fieri non poterit, quod tunc fine infigni fcelere fieri vix potuit. POLON. Etiamnè facrilegii fulmina tu hic jactabis? Ne fceleris quidem arguendi funt eorum Manes, qui pro civium fuorum, Reique pub. falute, fpectante Chriftiano orbe ita defudarunt. LIVO. Abfit, ut ego vel facrilegii, vel etiam fceleris eos arguam: at viderint, ne res ipfa fatis arguat. Quid enim? ut de fola Livonia mea loquar: in eandem Regni focietatem vobifcum coaluimus; Socios igitur Reip. veftræ, & quidem nulla ipforum caufa, hofti prodere, aut tunc fine fcelere potuiftis, aut nunc poteftis? Quot, & quanti è Livonia noftra viri, ob fidem Regi & Reip. fervatam, fedibus, patria, bonifque omnibus fuis everfi, perpetuo exilio & aliis calamitatibus conflictantur; & hos fine fcelere, aut tum deferere potuiftis, aut nunc poteftis? Quot myriades, imò myriadum myriades, animarum, in Ecclefia Orthodoxa Chrifti fanguine affertarum, luporum faucibus objectæ funt? Et hoc fine fcelere, ne dicam facrilegio, fieri potuit? præfertim, cum ne libertas quidem Religionis tantillum curata fuerit: aut, fi fuit curata, & (uti quidam afferunt) etiam conceffa, nullis tabulis publicis, per ofcitantiam, & animi væcordiam, firmata non fuerit. POLON. Jam tu fenfim, à fcelere ad facrilegia gradum, ut video, facis: & vereor, ut eximii quidam inde effe poffint. LIVO. Magis fortaffe verebere, fi cetera audias. POLON. Et quæ illa tandem? LIVO. Non ignoras, Livoniam gentilium tenebris & idolorum cultu, graviffimè olim laborantem, fub Annum Chrifti MCLVIII, à Chriftianis, urbe Brema oriundis, repertam; & mox à Menardo, fub Alexandrò III. Pont. ceterifque deinceps Epifcopis & Archiepifcopis Rigenfibus, adjuncto Militum, principio quidem Enfiferorum, deinde verò Theutonicorum præfidio & armis, fubjugatam Chrifto, & fingulari Deiparæ Virginis patrocinio fuiffe mancipatam. Iftud ergo, & quidem tantum Deiparæ Municipium ac Peculium, ejufdem adverfariis mancipare fine fcelere & facrilegio poteftis? SUECUS. Cavefis, nos quanquam à Romana

na Ecclesia alienos, inter Deiparæ adversarios accensere. POLON. Si de Suecis duntaxat egisses, inter adversarios istos accensendi, vix eratis: at quia etiam de alienis ab Ecclesia Rom. verbum tibi unà excidit, tu videris, quem ad censum referri queatis. Verum hæc extra oleas, ut ajunt. Tu porrò ad ea quæ porrò restant, perge. LIVO. Non potes ignorare, (si præsertim innoxias illas, & admodum pias agricolarum in Livonia mentes, unquam ingeminantes audisti) qui sit Provinciæ totius sensus; quem ex eorundem agricolarum vocibus facilè assequi etiam potes. Ajunt enim vulgo; Cùm Livonia DEIPARÆ Virginis proprium sit Peculium, sive Municipium, nunquam in ea bene erit, aut benè esse poterit, nisi in ejusdem Deiparæ postliminiò asseratur potestatem. POLON. Quo ista spiritu, rudes illæ,&,uti dixisti, innoxiæ animæ denuntient, Tertullianus, libro de Animâ fortasse divinarit: ego non alium hîc agnosco spiritum, quàm quo, Magnus ille Poloniæ nostræ Apôstolus, & Regum ac Reip. quadraginta propè annos Ecclesiastes Petrus Scargo, (præsertim cum de Prussia ac Livonia, pro Comitiis; peroraret) agebatur. Et ille quidem solam Provinciæ patriæque meæ, ex Ecclesiasticâ in civilem potestatem deplorabat metamorphosim; isti verò insuper in sectariorum se redactos potestatem, haud injuria ingemiscant: ille neque è Livonia, neq; è Prussia, ob dictam metamorphosin, commodi quidquam in Remp. dimanare posse augurabatur; isti vero quas non deplorant, proserpentes in utraq; Provincia, ab hæresi calamitates? Quid enim ab eo usq; tempore, non est passa à Boreo isto latere Resp. detrimenti? quid non ex alterutra Provinciarum istarum, tanquam è patente malis omnibus ostio in eam redundavit? Propè est, ut hic usurpem divinum illud, *Ab Aquilone pandetur omne malum*; pręsertim, cum nostra quoque memoria & Caroli Sudermanni, & Gustavi Adolphi, & Caroli Gustavi, non alia ferè, quàm ista Livoniæ Prussiævè porta tantam effoderint in Remp malorum eluvionem. LIVO. Si hactenus, ab Aquilone, ut dixisti, pandebatur malum, quanto magis pandetur, si hosti perpetuo jure addixeris Livoniam. Quid si Livoniæ adjunxeris

junxeris insuper & Curlandiam & Semigalliam? Antehac, nonnisi sulcato navibus Balthicis accessum ille in Poloniam habuit; nunc si ad solam Livoniam ei tradideris, Proximus tibi semper, ô Polonia, ardebit Ucalegon. Antehac hyemes tibi utrunq; erant tutæ, cùm nulla per Balthicum pateret, navigatio : at nunc, *noctes atq; dies patebit atri janua Ditis.* Antehac, ut vires ad invadendam concutiendamque Poloniam sibi acueret, in illo, omni ex parte asperrimo, & cautibus rupibusque horrendo ubique Sueciæ suæ regno, *Sugebat* (liceat enim sacrum illud carmen, Deut. 32. per parodiam huc transferre) *mel de petrâ, oleumque de saxo divinissimo*; at si Livoniam possideat, *Comedet*, ut idem carmen prosequitur, *butyrum de armento, & lac de ovibus*; *cum adipe arietum, & agnorum filiorum Basan.* Dicat enim vel hic ipse, an non Livonia una, & opibus, & fructibus, & omni hominum rerumque copiâ, universo præstet Sueciæ suæ Regno? Suecus. Est propemodum, ut dicis. Livo. Etiam sinè addito, *Propemodum*, est: quod tu inficiari si velis, minimè inficiabuntur; qui Livoniam ad centum viginti leucas, sive milliaria Germanica, in longum, in latum verò ad triginta, sæpe etiam ad quadraginta, protendi sciunt; aut qui, vel unicum Rigense portorium (ut nunc cetera omnia terræ marisque commoda mittamus) ad gerenda promovendaque tanta bella sufficere Sueco non nesciunt : ut nullâ re magis armare in vos æternum hunc, Poloni, hostem possitis, quàm si, vel ex unico Rigensi portu, æternum illi nervum belli, adversum vos subministretis. Polon. Quàm cuperem, ut ista accuratius expenderent, qui inter nos & videri, & dici amant Politici! Livo. Quàm vellem & ego, ut isti iidem Politici paullò cum Deiparæ Municipio agerent politiùs! At vide nimiam hominum politiem. REGINAM POLONIÆ, nuncupato publicè voto, & Regis sui, & suo nomine ac verbis, nuperrimè dixerunt : at nunc de conservando Reginæ suæ integro Regno, quantum laborant! Dionysius Siciliæ Tyrannus, Deos suos thure venerari solitus erat, cum interim aurum, & alia ingentia dona iisdem dicata raperet : vereor, ne quid istiusmodi, de

Poli-

Politicis istis vestris liceat vsurpare. POLONUS. Impietate Tyrannus ille, nostri causis justis aguntur. LIVO. Ne ille quidem, causas impietati suæ prætexere nesciebat. Auream Æsculapio Apollinis filio barbam revulsit, quòd diceret, imberbis patris dedecere barbatum filium esse: vestes auro gemmisque nimirum graves, ceteris rapuit, quod easdem, per æstatem quidem calore nimio, per hyemem verò pondere ipso, graves esse Diis censeret: Ita & vestris istis causæ nunquam desunt; at tanti nunquam erunt momenti, ut ad revellendas Reginæ vestræ ditiones unquam futuræ sint pares, aut videri etiam satis justæ possint. Quod si aliis Reginam vestram provinciis, quibus tanquam peplo quodam & chlamyde Regiâ amicitur, spoliari nefas est; Livoniâ, quæ non recens, sed tot etiam seculorum possessione municipium, ac peculium, & quasi hereditas quædam ipsi firmata est, spoliari fas erit? POLON. Nunquam Politicis nostris, hac similibusvè in causis, tantum liceret, si Ecclesiastici (quorum maximam scis in Rep. & authoritatem & potestatem esse) aliquantò plus vellent sibi licere. SUECUS. Exspecto, ut dicatis, quantum libet, tantundem utrisque licere. LIVO. Ego quidem hoc non dixerim; POLON. Neque ego: vereor tamen, ne de quiquibusdam eorum dici jure possit: quibus ut otio genioque indulgere suo scilicet queant, omnia licent. SUECUS. Quocirca, ut otio genioque indulgere suo possint, inter alias pacis conditiones, nobis Livoniam concedant; in qua nos quoque genio atque otio indulgeamus nostro. LIVO. De otio vestro, non est, quod verba facias; novit orbis, quantum otii sitis amantes. SUECUS. Saltem pacis & fœderum amantissimi sumus: quam pacem traditâ nobis Livoniâ, vobis nobisque æternam reddetis. LIVO. Æternam dixti; Momentaneam dixisses, non ita longè abiisses à vero. Vidimus, & adhuc videmus, Æternam istam, quam vos inire scilicet pacem soletis. SUECUS. Quæ antehac vobiscum acta sunt, mitte; futura, & præsentia intuere. LIVO. Id quidem ego potissimum ago: quocirca dum præsentia ac futura intueor, nullam vobiscum firmam pacem sanciri posse video.

SUE-

Suecus. Et quæ tu præſentia intueris? Livo. Pacem hoc ipſo tempore cum Dano factam. Quam ille graves ſibi ac Regno ſuo iniit conditiones? quàm multas, non urbes modò, verum & Provincias vobis conceſſit? quid non egit, ut firma vobiſcum pace frueretur? Quo plura vobis ſunt conceſſa, eò plus ad reſidua eſt accenſa cupiditas veſtra; eò magis armatus eſt adverſus eundem Regem furor veſter. Abrumpo: res enim ipſa loquitur: eademque ſi Livoniam vobis tradamus, loquetur. Nam per vos, ita res geruntur, ut vulgare illud quiſque nobis accinere queat; *Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula*; nemo tamen jure ſuccinat, *Amen*; multò verò minus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*